

## Servitien und Anniversarien der Cistercienser- Abtei Heiligenkreuz.

Von P. Georg Lanz, Capitular von Heiligenkreuz.

(Fortsetzung zu Heft III. 1898, S. 389—394.)

### *B. Bewegliche Pitanztage.*

Servitiis dictis, quae secundum hocce Sanctae Crucis Calendarium Consolatorium, Certis diebus immobiliter celebrabantur, cum annumerentur etiam servitia Favorabilia, quae partim mobiliter secundum diem diversum suis Festivitatibus, partimque generaliter secundum certae obligationis Titulum debebant observari; horum inter specificamus:

1mo Diem Dominicam infra Octavam Epiphaniae, qua de Andreae Carnificis beneficio plenum Celebrabatur servitium.

2do Anniversarium Magistrorum Henrici de Hassia, et Henrici de Oyta, quod sive ante sive post Quadragesimam Celebrabatur dabatur Conventui Pitantia.

3tio Feriam secundam post Purificationem B. M. V. Festum, qua de Dominorum de Pottendorff oblatione plenum tribuebatur servitium.

4to Dominicam Invocavit qua de Chranesti beneficio plenum tribuebatur servitium.

5to Dominicam Reminiscere qua de Faustlini legatione plenum habebatur servitium.

6to Dominicam Oculi, qua de eiusdem Faustlini beneficio plenum agebatur servitium.

7timo Dominicam Laetare quâ de Griffonis Fundatione plenum Ministrabatur servitium.

8vo Feriam secundam post Dominicam Laetare, qua Infirmarius dabat duo Frusta Piscium, quod servitium Magistrum Montis de Gumpoldskirchen respiciebat.

9no Dominicam Judica, qua de alicuius Matris, Fratris Simonis Constitutione plenum celebrabatur servitium.

10mo Dominicam Palmorum qua de Piscatore in Paumgarten pleno fruebatur servitio.

11mo Vigiliam sive Coenam Domini, quâ de Ortolfi de S. Vito in Carinthia plenum distribuebatur servitium et eadem Die Trecenti panes et duae Vrnae<sup>1)</sup> Vini dabantur Pauperibus.

12mo Totam Quadragesimam qua singulis Diebus Vnum Frustum Piscium obtingebat cuilibet Fratri de Fundatione Plebani in Gumpoltskirchen.

13tio Vigiliam Paschae quâ de prima Fundatione ordinabantur duo Frusta Piscium.

---

<sup>1)</sup> Mass für Wein und Bier.

14to Ipsum Diem Paschae, qua de Tursonis Collatione plenum servitium in Conventu Observabatur.

15to Tres Dies immediate sequentes, quibus Camerarius Cuilibet Fratri Vnum Frustum Piscium debebat dare.

16to Feriam quintam Sextam et Sabatthum quibus de Servitio Griffonis adhuc quivis Frater Vnam partem Piscium habebat.

17timo Dominicam Quasimodo Geniti, qua de Minorum de Saxengang Proventibus plenum Servitium peragebatur.

18vo Feriam Sextam post Dominicam Quasi modo Geniti, quâ de Conradi Schaffer oblatione in Gumpoldtskirchen Vnum Frustum Piscium dabatur Cuivis Fratri Conventuali.

19no Feriam Tertiam post Festum S. Georgij quâ duo Frusta Piscium de Certis Redditibus, singulis obtingebat Fratribus.

20mo Vigiliam nostrae Dedicationis Ecclesiae, qua Prior Vnum Frustum Piscium Cuivis Fratri dabat. Ob quod onus habebat Redditus Vnius Tabuli de Vinea quae dicitur Lan sita in Pfaffstetten; ex quo Redditu patet, quantum olim poterat pro Vno Tabulo sive Floreno poterat comparari: Cum etiam nos meminimus pro 18 solidis sive vetero moderno Imperiali 45 Vrnas Vini fuisse antiquitus comparatas emptionis Titulo.

21mo Dedicationem ipsam Ecclesiae nostrae, quâ de Fundatione prima omnibus praesentibus in particulari cuilibet Fratri duo Frusta Piscium dabantur.

22do Dies Rogationum,<sup>1)</sup> qua cuilibet Vnum Frustum Piscium obtingebat.

23tio Diem Ascensionis Domini, qua de prima Fundatione Vnum Frustum Piscium serviebatur.

24to Feriam sextam quâ de Hugonis de Engelstatt(?) proventu Vnum Frustum Piscium Ministrabatur.

25to Octavam Ascensionis Domini, quâ de Minorum de Arnstein donatione duo Frusta piscium ordinabantur.

26to Vigiliam Pentecostes, quâ de prima Fundatione duo Frusta Piscium Cuivis Fratri Conventuali praebebantur.

27timo Diem sanctum Pentecostes, quâ de Spanonis alicuius Ordinatione plenum agebatur servitium.

28vo Feriam quartam post Pentecosten, quâ de Cuiusdam sacerdotis oblatione Cuilibet Fratri duo Frusta Piscium praescribebantur.

29no Feriam Sextam, quâ de Minorum de Pergau Fundatione plenum celebrabatur servitium.

30mo Vigiliam Ssmae Trinitatis qua de Domini de Harsendorff Dotatione pleno fruebatur servitio.

<sup>1)</sup> Bittag (rogare = bitten).

31mo Dominicam Smae Trinitatis quâ de Dominorum de Rauhenstein proventibus plenum conferebatur servitium.

32do Festum Corporis Christi quo de alicuius Haussonis Locupletatione duo Frusta Piscium cum similia praesentabatur Fratribus.

33tio Feriam sextam post hoc Festum, quâ de Dominorum de Arnstein bonis, plenum Fratribus praebebatur servitium.

34to Totum Adventum, quo quotidie de Dominorum de Pfannenberg Vnum Frustum Piscium singulis exhibebatur Fratribus.

### *C. Kämmerer-Pitanz.*

Accedit quod ex summa Reddituum quae erat 171 Florenorum sive Talentorum ac 3 solidarum duorumque Denariorum Camerarius generaliter quovis Anno debebat ea quae sequuntur :

Imo In Festo S. Paschae usque ad Festum S. Joannis Baptistae tenebatur Conventui duo Ova tam pro prandio quam pro coena: Post Festum vero solum tenebatur mane dare duo Ova et ad Coenam prout consvetum fuerat usque ad Carnis Privium id est Bacchanali quo Tempore etiam saeculares Carnibus privantur.

2do Tenebatur quotidie eidem Vnam Pitantiam dare, qui Missam cantabat, coquinarijs autem Vnam Pitantiam et Lectori Mensae duas pitantias sive de Ovis sive de Piscibus.

3tio Tenebatur Conventum expedire in omnibus Communionibus et septimanis sive fuerit cum Carnibus sive Piscibus.

4to Quicumque fecerat sermonem in Capitulo, eidem tenebatur illo Die dare Vnam Pitantiam.

5to Omnibus Decumbentibus et Infirmis tenebatur aliquantulum lautius et melius providere prout eorum infirmitas ex postulabat.

6to Tenebatur expedire nocturnas Tunicas(!), Cucullas, Missales, et caetera Vestimenta prout Necessitas Fratrum exquirebat vel consilium Domini Abbatis aut Seniorum, sive Facultatum Census proveniens permittebat.

7timo Nigras Cucullas tenebatur procurare prout se extendebat census Dominae de Rauhenstein, non secundum Ordinem, sed secundum pecuniam et Necessitatem Fratrum ad minus septem cucullas.

### *D. Reducierter Pitanz-Katalog vom Jahre 1681.*

Pro quibus servitijs tum mobilibus tum immobilibus tumque etiam generalibus Sacerdotes assumebant Collectam alij qui sub Ordinibus erant septem Psalmos dicere obligabantur | sine dubio illis solum Diebus quibus servitium administrabatur : | sub gravi comminatione quâ scilicet si hoc negligenter aut secus

facerent indignationem Omnipotentis DEI se crederent incurrere. Illi autem qui huius modi institutionem impedirent sive impedire fecerint sive aliquomodo adversus agerent, quo solatia vel non darentur vel suffragia animarum non haberentur, non solum indignationem temporalem sed aeternalem pro his quae aeternaliter fundantur sibi noscerent tribuendum et sciant se ab Animabus, pro quibus illa solatia ordinata sunt et fundata accusandos et in Iudicio Divino cum indignatione districte indicandos.

Comminationis huius gravissimae Dictis non obstantibus, quibus mediantibus merito negligentem ac impediens bonam Fundatorum Voluntatem poterant incurrere pro qualitate Criminis certam Culpam aut Poenam: Nihilominus tamen quia a Tempore illo quo Anno 1481 per Sixtum sive Xistum quartum sacer Cisterciensis Ordo quoad Comestionem Carnium accipit Dispensationem, supponimus cessasse eiusmodi servitium Administrationem: Hinc Ulterius inter Calendarium Ordinarium per Gregorium 13tium Ao 1581 Correctum et Calendarium nostrae Sanctae Crucis Consolatorium deduximus talem distinctionem in illo priore fuisse sublato decem dies caeteris manentibus: In isto autem supermansisse tantum dies caeteris sublatis intelligendis solemnem per Pisces Tractationem pro 1681 Anno quo primum ante bellum Turcicum, hunc Fasciculum Conseripsimus eosque fuisse Ordine 1mo Dominicam Laetare 2do Festum S. Benedicti 3tio Festum Annuntiationis B. M. V. 4to Dominicam Palmarum, 5to Coenam Domini omnes quinque Dies tempus quadragesimae habentes. 6to Feriam sextam post Pascha id est 11mam Aprilis, qua Die Veneris annuatim Rmi D'ni Clementis pro tempore existentis, Dies eius Electionis Festive recolebatur. 7tmo Festum Assumptionis B. M. V. Feria sexta celebratum. 8vo Festum omnium S'sorum 9no Festum S. Leopoldi nostri Fundatoris Vtrumque Die Sabatthi solemnizatum ac tandem 10 Festum Praesentationis B. M. V. Die Veneris sanctificatae. Expedito hoc modo cum suis servitijs Calendario nostro sanctae Crucis Consolatorio superest ut semel ac simul dicamus, quid sancta Crux Vicissim gratitudinis Ergo pro omnibus et singulis beneficiis nostris Patronis tum in genere tam in specie antiquitus praestiterit, quidve de facto in Praesens usque Tempus Circa ipsos observet. Praeter eundo namque illa servitia Temporalia quibus antiquitus 27 Calcearum nocturnalium paria vulgo Filzschuch dicta, Cultellos scriptarios, Marsupia aurea et argentea, Panem dulcem vulgo Lebzelten, Caseos, Cochlearia, Pocula, scutellas, Orbes, Rostra, Palas omnia ex ligno, Currum, Anseres, Pecuniam, Funem: certis Dominis, certis diebus de certis Fundationibus obligabatur praestare et partialiter adhuc praestat; spirituales porro ipsam gratitudinem Proportionaliter super abundantem de

Libello R<sup>m</sup>i D<sup>ni</sup> Clementis, Cui Titulus Notitia Vniversalis Sanctae Crucis praesentes tamen ac Futuri Successores sub istis excepian formalibus.

„Postquam diu multumque non tantum a Privatis Monasteriorum Superioribus, sed in ipso etiam Capitulo Generali Ordinis nostri sacri deliberatum fuit, qualiter quorundam Priorum Intentioni, qui pro Anniversarijs celebrandis certa bona Monasterijs Contulerunt et Fundarunt, satis fieri posset nihil autem Vnquam determinatum: Ego Principaliter Fundationes quibus defacto fruimur et ex quibus adhuc hodie Vivimus, examinans infra scripta Anniversaria specificè pro pijssimis illis Fundatoribus tenenda aequum et Justum esse dum, et id circo etiam de Mense defacto habentur et cantantur prout sequetur: Credens alijs omnibus, qui tantum Minuta aliqua |:pro quibus hoc Tempore Vix privatum Vnum Sacrum legentur:| in Gazophylacium Mnrij S. Crucis pro Anniversario habendo proiecerunt, satisfieri per Multitudinem Sacerdotum, quorum Vbi tunc decem fuerunt, modo quadraginta et plures sunt; qui et Anniversaria mensium et alia viginti Sacra Lambertina pro benefactoribus Monasterij praeter sacra Conventualia exacte persolvunt.

*E. Anniversarien der Fürsten.*

Ordo Anniuersariorum in S. Cruce diebus non impeditis  
Celebrandorum.

1mum.

In Januario Anniversarium Friderici 2di Regis Romanorum, Ducis Austriae(?), qui multa bona fecit Monasterio nostro, deditque ducenta talenta pro Missa quotidiana. Olim hoc Anniversarium fuit habitum tertio Idus Januarij.

2dum.

In Febuario Henrici Ducis Austriae filij fundatoris nostri, qui dedit nobis Münchendorff et emit nobis Sigenfeldt. Olim habebatur Idibus Januarij.

3tium.

In Martio Henrici Ducis de Medlico qui dedit nobis Septem Vineas et villam Sultz non procul a Monasterio, procuravitque nobis Sylvam supra Tallern. Olim celebratum fuit quarto nonas Septembris.

4tum.

In Aprili Leopoldi Ducis Bauariae Filij Fundatoris nostri, qui dedit nobis Trumau et Tallern et plures vineas, olim celebratum fuit decimo quinto Kalend. Novembris.

5tum.

In Maio: alterius Leopoldi Ducis Austriae, qui contulit nobis Nidersultz Paumbgarten et Sylvam quandam penes Monasterium. Olim habitum fuit pridie Kalen: Januarij.

6tum.

In Junio: Andreae Regis Vngariae et Vxoris eius Gertrudis, qui dederunt nobis novum praedium seu Münchhoffen in Vngaria: olim celebratum fuit tertio Nonas Sept:

7timum.

In Julio Hemerici Regis Vngariae et Vxoris eius Sophiae qui dederunt nobis Regis Curiam seu Königshoffen, modo a pago adiacente per abusum Wulffleinstorff dictam. Olim habebatur quarto Idus Decembris.

8vum.

In Augusto: Friderici primi Ducis Austriae qui dedit nobis Wetzleinstorff. Olim celebratum fuit Sexto Kalendas Maij.

9num.

In Septemb: Ottocari Regis Boëmiae et Gertrudis Ducissa Austriae Vxoris eius (?) qui nobis contulerunt Parochiam in Allandt.

10mum.

In Octobri: Domina Comitissa Osanna quae nobis Winden contulit.

11mum.

In Novembri: Belae Regis Vngariae qui montem penes Winden cum Vineis et Jure Montano nobis contulit.

12mum.

In Decembri: Alberti Ducis Austriae qui plurima insignia Privilegia, quibus defacto fruimur nobis dedit: Monasteriumque ab Vngeldt exemit.

*F. Sequuntur Reliqua Anniversaria olim adhuc Anno 1516 celebrari solitae.*

1.

Quarto Nonas Julij Henrici Ducis Austriae Cognomento Crudelis, qui dedit nobis 100 Marcas Argenti.

2.

Idibus Januarii Anniversarium Vrsulae Vrbetene, quae dedit nobis 300 Talenta Denariorum quindecim et medium florenum et Vineam quae dicitur Kelner, Debebat Fieri Tempore et loco competenti. Calendis Aprilis Anniversarium Domini.

3.

Conradi Episcopi Frisingensis, qui dedit nobis 1000 florenos et 100 libras Denariorum sepultus in Campillio quiescit.

4.

Kalendis Maij Anniversarium Alberti Regis Romanorum, qui aedificavit nobis Capellam Infirmorum Divo Erasmo sacram, Hodie S. Bernardi nuncupatam correspondenter ad Diem eiusdem obitus, quem ita Sigismundus Birken in suo speculo Austriaco-Honorifico folio 240 specificat pro Ao. 1308 scribens: Annis Completis Octo cum Mille Trecentis Rex est Albertus gladiatorum Morte peremptus Mense Maii Jacobi Festo sanctique Philippi.

5.

Septimo Kalendas Januarij Anniversarium Domini Stephani de Ciciling qui dedit nobis 200 Talenta Denariorum pro Servitio.

6.

Tertio Idus Februarij Anniversarium Magistri Henrici de Hassia qui dedit nobis 20 talenta Denariorum quique alias cognominabatur de Langenstein, quo nomine etiam quidam Andreas Langenstein Ao. 1392<sup>1)</sup> Rectorem Magnificum in Vniuersitate Wiennensi egit, De quo dubitari potest Virum non fuerit Professor Sanctae Crucis cum Teste Petro Lambecio in sua Caesarea Bibliotheca Libro 2do. Capite 5to Folio 100 et 162 Fr. Andreas S. Crucis Professor Ao. 1388 primitus creatus sit in hac Vniuersitate in Ss. Theologia Doctorem, quemque etiam Rex quidam Vngariae in suum Regnum ad Docendum expetijisse iuxta vetustissimas Epistolas Cognovimus. Obijt autem Henricus de Hassia Ao. 1387<sup>2)</sup> die 11. Februarij cui Petrus de Levin ipsius Familiaris tale fecit Epithaphium.:

Mortales Cuncti moveat vos Tumba sepulti Hassonis Henrici vermibus Expositi

Mors est a Tergo, sapiens homo se[paret] ergo.<sup>2)</sup>

7.

Septimo Calendas Junij habebatur Anniversarium pro omnibus Fidelibus Defunctis cum tribus Missis quarum prima cantabatur de Sma Trinitate 2da pro Defunctis; Tertia de B. Virgine.

Quinque denique Anniversaria pro Confraternitate Corporis

---

<sup>1)</sup> Nach Aschbachs »Geschichte der Wiener Universität« erscheint 1393 ein Art(ium) Mag. Andreas de Langenstein aus Hessen unter den Universitäts-rectoren.

<sup>2)</sup> Starb 1397. (Siehe Aschbach, S. 400.)

<sup>2)</sup> Dieselbe Grabschrift bringt Aschbach auf S. 401.

Christi Viennae videlicet omni Angaria,<sup>1)</sup> et circa Festum Omnium Ssorum quo Angariorum Tempore etiam Viennae in nostra Curia cum requisiti fueramus dabantur duo Crucigeri<sup>2)</sup> Pauperibus et nihil amplius.

(Fortsetzung folgt im nächsten Jahrgange.)

## De Vita et Cultu S. Joseph Patroni Ecclesiae Catholicae.

Disquisitio critica auctore R. P. D. Beda Plaine, O. S. B.

Conclusio.

(Vide fasc. III pg. 395—399.)

### Articulus secundus: De Cultu S. Joseph tarde ostenso, ejusque hodiernis mirabilibus incrementis.

S. Joseph Cultus religiosus, qui hodie aequiparatur cultui S. Joannis Baptistae et Apostolorum, et etiam celebrior eo habetur multo tamen posterior est ordine temporum, siquidem nulla gaudebat celebritate ante decimum sextum seculum, dum dictus Apostolorum cultus a primis Ecclesiae seculis viget et florescit. Utrum vero cultus S. Joseph inchoatus fuerit in Oriente vel in Occidente, lis adhuc sub iudice remanet, sed indubie diffusio ejusdem et incrementa multiplicis generis quibus ditatus est, ad nostrum Occidentem speciatim pertinent aliqualemque partem ejus gloriae liturgicae constituunt. Ista duplex questio inferius tractabitur. Sed prius quaerendum nobis est cur cultus S. Joseph tam tarde manifestatus fuerit in Ecclesia.

#### § 7. Explicatur cur tam tarde ostensus fuerit Cultus S. Joseph.

Ecclesia Catholica a Christo fundata, et ab ejus discipulis edocta, annumeravit semper inter articulos symboli fidei dogma tam consolatorium Communionis Sanctorum, juxta quod communia sunt bona et merita tum Ecclesiae in coelo cum angelis triumphantis, tum Ecclesiae militantis in terra. Unde consequenter eadem Ecclesia ab incunabulis suis prosecuta est sanctos suos post mortem cultu religioso, piisque obsequiis multiplicis generis. Verumtamen non omnes sancti indiscriminatim ut modo fit honorabantur per tria vel quatuor prima secula vero solummodo colebantur qui vitam in tormentis fuderant pro Christo et justitia, ita ut excluderentur a cultu publico etiam angeli et a fortiori Confessores et Virgines, non exceptis Joseph, Maria Magdalena et aliis Sanctis Evangelicis non martyribus.

<sup>1)</sup> Quatember.

<sup>2)</sup> Kreuzer.